

ut præcedenti disputatione ostendimus, tota virtus proxima, et proportionata ad visionem est ipsum lumen gloriæ, et virtus activa intellectus solum se habet ut elevabilis ad altiorem ordinem, qua tamen elevatione posita active vitaliter concurret ad visionem, quia ad hoc ipsum elevatur per lumen gloriæ ut vitaliter operetur supra suum ordinem. Unde propria virtus intellectus, id est, in suo proprio ordine naturali manens, et virtus ordinis supernaturalis non se habent ut duo partialia agentia ad visionem, sed per elevationem consequitur activitas inferioris ordinis proportionata, et proximam virtutem ad operandum in superiori ordine, et totam hanc proportionem, et proximam ad operandum dat ipsum lumen, quod est unicum, et totale principium ordinis superioris, et supernaturalis, et consequenter est unicum totale principium proportionans, seu tota virtus proportionata, virtus autem inferioris ordinis talem proportionem nullo modo, nec partialiter dare potest, sed solum recipere, et elevari, sed solum capacitatem habet, non positivam proportionem.

XXVII. Et hinc solvitur instantia, quæ potest fieri contra hoc ex aliquibus exemplis, nam gratia, et charitas in subjecto activiori intensius operatur ex ipso conatu subjecti, sicut unus Angelus cum æquali charitate cum homine, procedit in actum intensiorem, quia Angelus majori conatu operatur. Similiter si potentia visiva si augeatur species, vel lumen exterius in ipso medio, augetur visio, licet non crescat acies, et virtus potentia visivæ, ergo sufficit alteram causam crescere, ut crescat effectus. Similiter concurrente medio demonstrativo, et probabili, quanto fuerit alterum medium efficacius, erit cognitio

perfectior, ergo etiamsi crescat facultas naturalis activa erit perfectior visio, licet lumen supernaturale non crescat, quia utrumque est principium activum visioni. Et ideo Sanctus Thomas, III p. quæst. x, art. iv ad II solum dixit: « Quod gradus visionis secundum perfectionem magis attenditur secundum ordinem gratiæ quam secundum ordinem naturæ: » ubi ly magis videtur comparative loqui, et supponere quod etiam attenditur secundum ordinem naturæ.

XXVIII. Respondetur ad primum exemplum negando antecedens. Nam si Angelis egreditur actus charitas intensior quam in homine non est ex virtute naturali Angeli, sed ex ipsa charitate, quæ datur Angelo juxta capacitatem suorum naturalium, et datur ei auxilium ad utendum juxta totum conatum claritatis sic datæ, eo quod connaturalis modus operandi Angeli (quem non destruit, sed elevat charitas) est ut operetur juxta totam perfectionem suam, et activitatem. Quod in homine non semper contingit propter majorem sui mutabilitatem et irregularitatem in operando. Unde perfectior conatus in actu supernaturali Angeli reducitur ad proximam virtutem operandi, quæ est supernaturalis, licet hæc et auxilia, quæ ei dantur proportionentur modo operandi juxta totum conatum, ipse tamen conatus supernaturalis est; et hoc non semper contingit in homine. Correspondet ergo intensio et conatus supernaturalis major, non activitati naturali, sed supernaturali virtuti, et auxilio, licet virtus juxta modum operandi naturæ ex toto conatu detur. Dicere autem quod intuitu naturalis activitatis potentia aliquis intensius conatur in actu supernaturali, et magis mereatur, nullo modo est tutum. Ad secundum exemplum respondetur

quod quando crescit visio solum ex eo quod crescit species, vel lumen externum invariata virtute visiva, ideo est quia supponitur virtus visiva proportionata ad totam istam visionem, quæ crescit, sed quia datur species, et lumen ipsi virtuti non adæquata, sed inferius, ideo crescente lumine, vel specie, licet non virtute, producit visio perfectior, sed intra limites, et proportionem ipsius virtutis visivæ. Si autem species, et lumen exterius ita cresceret quod excederet proportionem potentia, non eliceretur visio melior, ut patet in visu infirmo non potente videre solem, et sic requiritur semper proportio virtutis visivæ cum specie, et lumine externo; crescente autem altero istorum intra proportionem virtutis, crescit sine dubio perfectio visionis. In beatis autem species perfectissima est scilicet essentia divina, et unitur juxta totam proportionem luminis, unde nunquam crescit applicatio speciei, nisi crescat proportio, et efficacia luminis. Ex eo vero quod crescat activitas naturalis ipsius potentia non crescit aliquod principium proxime, et proportionate influens, sed solum obedientialiter elevabile, et ideo non conducit ad perfectiorem visionem.

XXIX. Ad tertium exemplum dicitur non esse simile, quia medium probabile non elevatur a demonstrativo, ut fiat unica virtus influens, sed quodlibet operatur seorsum ab alio juxta suam certitudinem, et formalem rationem, etiam dato quod simul permaneant. Virtus autem luminis elevat intellectum, et ista non confert seorsum activitatem, sed suam quam habet, subjicit luminis ut elevabilem ab ipso sicque redditur unica tantum virtus proportionata et proxima ad visionem. Ad D. Thomam respondetur quod in illo loco accipit ly magis adver-

sative, non comparative, et ideo non supponit aliquid activitatis proximæ in naturali ordine, sed totum tribuit luminis, ut ex aliis locis supra citatis constat.

ARTICULUS VII.

An dentur visiones specie essentiali distinctæ?

I. Est aliquorum sententia, quod dantur diversæ visiones beatificæ in specie, sumpta diversitate ex parte diversarum potentiarum specie differentium, v. g. Angeli, vel hominis, quæ concurrunt ad ipsam visionem beatificam. Quæ sententia attribuitur Richardo in IV, distinct. XLIX, artic. II, quæst. VIII; Majori ibi quæst. X, §. Respondeo licet; Durando in III, distinct. XIV, quæst. I ad ultimum. Sequuntur eandem sententiam Molina, Salas, Herize, et alii, quos citat, et sequitur Alarcon hic tract. I de visione, disputat. III, capit. VI, numero VIII. Pro eadem citat Cajetanum III part. quæst. X, artic. IV ad II, ubi solum docet ex majori activitate potentia, visionem esse perfectiorem, sed non dicit esse specie distinctam, imo docet ibi non posse dari lumen gloriæ diversæ speciei, ut infra dicemus. Citat etiam Medinam I-2, quæst. IV, artic. V, ubi nihil de hac difficultate tractat. In quæstione autem V, art. II, ubi eam tractat, oppositum tenet. Et in articulo IV docet, quod visio per modum permanentis, et transeuntis sunt ejusdem speciei, quia habent idem objectum, et solum addit, quod fortassis sunt diversæ speciei, ob illum videlicet diversum modum, non ex diversitate potentiarum.

II. Secunda sententia affirmat non dari visiones specie diversas, quantumque potentia sint spe-

cie diversæ, sed ex solo lumine ejusque formali motivo sumere visiones specificationem suam. An vero possint dari de potentia absoluta lumina specie distincta? Quidam affirmant, alii communius negant, de quo statim dicemus. Hæc sententia magno auctorum consensu recipitur; imo Ægidius a Præsentatione tomo II, de beatitudine, lib. XI quæst. V, artic. III, numero LXXIII, in eam præcipue ducitur ex consensu quo apud omnes recepta est, loquendo de facto. Et ita hanc sententiam tenent Cajetanus supra citatus, §. Ad hoc dicitur; Soto in IV, distinct. XLIX, quæst. V, artic. II; Zumel, I part. quæst. XII, artic. VI, quæstione ultima; Navarrete, ibidem controv. XLII; Gonzalez, disputat. XXIX, section. III; Suarez, I tom. III part. disputation. XXVI, in præfatione, et lib. II de attributis negativis, capit. XIX et capit. XXIII, numero XXIII; Vazquez hic disputation. L, capit. V, numero XXXII; Ægidius loco citato numero LXV, qui citat Valentiam, Salas, Molinam, Marsilium, Durandum, Scotum, ejusque scholam.

III. Dico primo: Visiones quæ de facto dantur non sunt specie essentiali diversæ. Fundamentum est, quia diversitas specifica visionum ex nullo principio sumi potest: ergo non datur. Antecedens probatur excludendo sigillatim omnia principia; unde talis diversitas sumi potest. Nam vel sumitur ex diversitate potentialium, vel ex diversitate objecti formalis, et primarii, quod est Deus in se, vel ex diversitate secundarii quæ sunt creaturæ. Nam ex diversitate luminis specifica, si daretur, optime quidem desumeretur specifica distinctio visionum tamquam ex proxima, et formali virtute elicitive illius visionis, et sic supponeretur diversa ratio formalis ex parte objecti, sine qua lumen ipsum specificari non posset. Sed

qua eadem currit ratio in diversificanda specie luminis, et specie visionis, et ex eadem ratione formali sumi debet, ideo pro eodem reputamus dari diversas specie visiones, et dari diversa lumina specie, si semel specificatio ipsa visionis ex objecto sumitur, et non ex diversitate potentialium, seclusa enim diversitate proveniente ex potentiis, eadem est ratio diversificandi actum qui est visio, et habitum, qui est lumen.

IV. Igitur primo loco ostendendum est quod diversa specificatio non sumatur a potentialium diversitate, eo modo, quo intellectio hominis, et Angeli, licet versetur circa idem objectum diversæ sunt, quia proveniunt a potentiis specie distinctis, et in opinione quod potentia visiva hominis, et equi distinguuntur specie, visiones quoque ab eis elicite erunt specie diversæ. Sed quod hoc modo non possimus philosophari in visione beatifica, licet una procedat ab Angelo, altera ab homine qui habent intellectus specie diversos, sicut et naturas, in primis probatur ratione Div. Thomæ I part. quæst. CVIII, artic. VIII, ubi docet homines secundum dona gratiæ assumi ad ordines Angelorum, ita ut sint illis æquales in gloria, licet remaneat naturarum distinctio, et oppositum docet sanctus doctor esse erroneum, quia est contra promissionem Christi Domini Luc. XX, ubi dicitur: *Quod filii resurrectionis erunt æquales Angelis in cælo*, sed non erunt æquales ratione naturæ, quia hæc semper specie distinguitur, ergo solum ratione gloriæ, seu visionis beatificæ, sed si visiones distinguerentur specie propter potentias specie diversas nunquam essent æquales, quia duæ species æquales esse non possunt, sicut nec ipsæ naturæ Angeli, et hominis æquales unquam esse possunt: ergo

falsificatur promissio Christi si visiones specie distinguuntur propter distinctionem specificam potentialium a quibus procedunt. Nec potest dici quod visiones illæ entitative sunt inæquales, non tamen esse simpliciter perfectiorem, et meliorem visionem Angeli in ratione visionis, imo visio Christi est melior quam visio Angeli simpliciter, licet entitative inferior, sicut magna quantitas argenti est simpliciter melior grano auri, licet entitative aurum sit melius. Vel secundo, quod visio inferioris speciei potest intimius penetrare Deum, quia in hac sententia species visionis non sumitur ab objecto, sed a principio, scilicet a potentia. Non autem visio illa est beatificans ratione suæ speciei, et ut exit a principio, sed ut attingit objectum, et sic potest esse perfectior in ratione beatificantis, et inferior in specie sua.

V. Sed contra primum est, quia entitas visionis non est alia quam ipsa attingentia objecti, quia tota ejus entitas essentialiter, et intrinsece erga objectum se habet, si quidem attingere, et penetrare objectum non est aliquid extrinsecum, et morale in visione, sicut in argento valor pecuniarius et moralis major esse potest, si sit magna quantitas, quam in auro, si sit parva, valor tamen intrinsecus, et physicus non potest esse major in magna quantitate argenti, quam in grano auri, sicut nec magna quantitas pulveris, vel luti, in quo non est valor pecuniarius ipsum aurum non adæquat. In visione autem beatifica totum quod est valor est intrinsecum, et entitativum, non pecuniarium seu morale. Unde si species visionis Angeli est species excellentior, oportet quod in sua intrinseca ratione excellentior sit, intrinseca autem ratio est attingentia, et penetratio objecti, in ea ergo excellentior erit, et non

adæquabitur a visione hominis, quæ semper inferioris excellentiæ est in omni eo, quod intrinsecum est visioni. Contra secundum autem est, quia in primis hæc sententia negat receptissimum, et verissimum axioma quod actus et potentiæ specificantur ab objectis, non a principio efficientibus, si quidem specificare non est proprium efficientis, ut efficiens est, sed formæ, et objectum, ut forma se habet seu ut formale respectu actus tendentis ad illud, ut probavimus in quæstione tertia de anima, qui tota quidditas actus in attingentia objecti sub tali modo consistit, ad id enim ex natura sua ordinatur. Deinde, quia si visio non habet speciem nisi a potentia, non vero ex objecto, nec melius penetrat et attingit objectum, quia perfectioris speciei est, ergo neque ex specie sua supernaturalitatem habet, neque ex specie sua petit talem, vel talem attingentiam objecti, sed totum id accidentale est, et extrinsecum visioni. Si autem hoc conceditur, oportet explicare quænam sit essentia illius actus seu visionis, si non petit essentialiter versari circa objectum, et attingendo illud, nec supernaturalitatem habet ex intrinseca ratione sua. Et quomodo orientur ab eadem potentia plures actus specie distincti, verbi gratia ab intellectu cognitio evidens et inevidens, scientiæ philosophiæ vel theologiæ, prudentiæ vel artis et similia, si quidem ex parte principii activi, scilicet potentiæ unum sunt, quomodo ergo specie differunt si ex parte objecti, quod attingunt speciem non habent, et ex sua ratione essentiali circa objectum non versantur? Quomodo denique respectus ille et ordo ad objecta supervenit ipsis actibus, si ex essentia sua id non habent? Et potentiæ ipsæ differunt penes objecta, verbi gratia intellectus, quia est circa verum, vo-

luntas circa bonum, visus circa colorem, auditus circa sonum, ergo etiam specifica et intrinseca natura actus postulabit versari circa objecta. Denique, supernaturalitas non est extrinseca his actibus, sed ex natura sua ordinis superioris sunt, non per elevationem extrinsecam, et tamen supernaturalitatem non habent a potentia, sed ab objecto, quod est Deus in se, ergo si in specie differunt illæ visiones, non ex parte potentiae quæ naturalis est, differre debent, sed ex parte objecti quod supernaturale est, et sic si est melior et perfectior species visionis, erit melior et perfectior in supernaturali ordine, et consequenter in attingendo objectum.

VI. Secundo loco dicimus non dari in visione beatifica diversam rationem formalem objecti primarii, unde apud philosophos sumitur specificatio essentialis actuum. Et probatur, quia ratio formalis attingendi objectum primum visionis quod est Deus in se, est ejusdem speciei atomæ, ergo et visio ipsa. Antecedens probatur, quia objectum primum quod attingitur est Deus et ratio formalis, seu medium sub quo attingitur est etiam Deus, quia attingitur immediate in se clare et non per medium vel specie creatam. Deus autem in se solum duplici modo est attingibilis, scilicet finito modo et infinito. Infinito modo attingitur comprehensive a Deo, qui modus attingendi facit differre cognitionem non solum specie, sed etiam genere a visione creatæ, quia reddit illam comprehensivam et increatam. Finito modo attingitur Deus in se in quantum immediate et intuitive visibilis est, et quidditative etsi comprehensive. Hæc autem specificatio essentialiter una est; et non potest ex hac parte objecti formalis diversificari quantumcumque crescat vel decrescat. Et ratio est, quia

nullum objectum intelligibile variatur formaliter nisi varietur immaterialitas et intelligibilitas sub qua videtur; hæc autem relucet in specie, quæ est medium repræsentans objectum. Unde si species non potest elevatori intelligibilitate seu immaterialitate repræsentare vel componere objectum, nunquam variatur formalis et specifica ratio objecti in ratione repræsentati et intelligibilis, quæ consistit in diversa immaterialitate seu intelligibilitate, sub qua repræsentatur et sub qua lumen tendit in illud. Species autem qua videtur Deus a beatis non potest crescere aut mutari in ipsa intelligibilitate, quia est species increata, scilicet ipsa divina essentia gerens vicem speciei, aut si est species creata entitative, intelligibiliter et terminative est increata, et in se Deum repræsentans. Et hæc non potest diversam immaterialitatem et intelligibilitatem induere, ergo neque objectum diversam rationem formalem intelligibilem, quia hæc in diversa intelligibilitate consistit. Ergo neque lumen potest esse specificè diversum, quia hoc semper proportionatur speciei qua utitur, et objecto in quod tendit, objectum enim et species non ponuntur in numero. De quo amplius sequentibus conclusionibus dicitur.

VII. Tertio, ex diverso modo intelligendi objectum secundarium, scilicet creaturas in Deo non potest sumi diversa specificatio visionis, quidquid aliqui dicant existimantes quod visio attingens creaturas in Deo differt specie ab illa; quæ solum attingeret divinam essentiam et non creaturas, vel quod pro diversitate creaturarum quæ attinguntur differt etiam visio specificè. Sed contra est, quia visio attingens creaturas in Deo attingit illas ut objectum secundarium, ergo non accipiendo ab illis formalem rationem sub qua at-

tinguntur, sed supponendo objectum primum, a quo sumatur ratio formalis specificans. Antecedens certum est, quia visio beatifica illud habet pro objecto primario et per se, in quo per se et primario consistit nostra beatitudo, constat autem quod non consistit in creaturis quantumcumque visis in Deo, quia non se habent ut finis ultimus, sed solus Deus qui ratione suæ divinitatis est finis ultimus, et id in quo consistit beatitudo, ergo visio in quantum beata non potest respicere creaturas, ut objectum primum talis beatificationis, quia alias primo et per se beatificarent, ergo solum potest respicere creaturas ut objectum secundarium. Consequentia vero probatur, quia ratio formalis specificandi actum nunquam potest sumi ab objecto secundario, sed primario, quia secundarium non attingitur, nisi supponendo primum, et tamquam ad illud pertinens, ergo prius intelligitur attingi primum quam secundarium, ergo quando attingitur primum jam actus habet speciem, quia sub aliqua specifica ratione illud attingit, ergo repugnat sumere specificationem ab objecto secundario. Et specialiter in visione beata, vel creaturæ qui diversificarent specificationem ejus attingerentur secundum propriam intelligibilitatem creatam tamquam sub ratione formali, vel sub ratione formali increata. Si primum, viderentur creaturæ in proprio genere, quia sub propria intelligibilitate, et consequenter cognoscerentur extra Verbum, et non mediante essentia divina, ut prius cognita, et sic neque specificè variarent visionem beatam, si sub intelligibilitate increata, ergo sub eadem immaterialitate increata, quia hæc cum increata sit et actualitatis puræ non variatur sive per illam attingantur creaturæ sive

non, sive istæ creaturæ sive illæ.

VIII. Dices: Licet intelligibilitas increata in se sit una formaliter, tamen virtualiter est multiplex, quia cognoscitur Deus ut diversimode participabilis ab ista vel illa creatura, et ita potest fundare diversas specie intelligibilitates: sicut et diversas imitabilitates, licet in genere increato sit una. Sed contra est, quia Deus ut continet istam creaturam non est magis immaterialis, quam ut continet illam, licet ipsæ creaturæ in se sint diversæ perfectionis, et immaterialitatis, et diverso modo imitentur Deum, ergo ipsum medium et ratio formalis cognoscendi illas, quod est Deus ut continens, non variat formalem rationem quæ est immaterialitas seu intelligibilitas divina. Antecedens constat tum a simili, tum ab inconvenienti. A simili, quia quando species universalior superioris Angeli continet in se plures res diversæ perfectionis et immaterialitatis, quas non continet species inferioris Angeli, tam immateriali et subtili modo repræsentat res minoris perfectionis, quam res majoris perfectionis, nam formica representatur Angelo superiori spiritualiori modo, quam inferiori cum ipsum lumen et species, quibus utitur superioris immaterialitatis sint, et ita res omnes quantumcumque inferioris immaterialitatis in superiori specie Angelorum magis immateriali modo repræsentantur, nec diversificatur species superior ex diversa immaterialitate objectorum in se. Ergo species increata quæ est divina essentia repræsentat eadem immaterialitate, scilicet summa qualis convenit actui puro, tam creaturas magis perfectas, quam minus perfectas, et sic ex hoc medio repræsentationis non potest variari specificè visio; neque ex parte luminis, quia hoc semper proportionatur immaterialitati spe-